



Nicolaus honestis parentibus natus, atq; in omnigenere uirtutum educatus est. Is cum felici ingenio esset præditus, à pueris operam literis dedit, & primis rudimentis perceptis, se ad uaria doctorum uirorum Gymnasia contulit. Ibi artibus & linguis incubuit, atq; earum magnum sibi usum comparauit. Postea quoq; Iuris studium amplexus, tanta felicitate perrexit, ut omnium bonorum applausu Legum Doctor crearetur. Accedebat et uite integritas, atq; docendi singularis industria. Id cum Heidelbergensis academiæ proceres cognouissent, eum inter professores adoptarunt, atq; lura eius facultatis studiosis explicare iusserunt. id quod ipse magna dexteritate præsttit, & cunctis gratissimus fuit. Cum is anno 1562 aliquot magnæ spei iuuenes Iuris Doctores crearet, præclaram orationem de Friderico 2. Cæfare habuit, atq; eam postea Basileæ edidit. In ea pontificis Romani fastum & crudelitatem, contrà uero Imperatoris humilitatem & pietatem declarauit, atq; multa alia scitu dignissima proposuit. Par ratione etiam alia quedam conscripsit, & suo tempore in communem utilitatem publicauit. Nam Nicolaus Heidelbergæ etiamnum pergit, atq; nihil intermit tit, quo patriæ prodesse, atq; literarum studia promouere pos sit. Anon.